



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ivstina V. & M. 26. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

que habitaret. Illud tamen civium bono factum quod tellus sic mota mentes hominum non tam ad metum quam pietatem movit. Ipse Theodosius Imp. in togâ privatâ sordidus & pede nudus dies noctesque Superos veniam sibi ac suis orabat. Inter hæc PVER innocens turbine raptus sublimis sub omnium & ex omnium oculis abiit, comesque huic unâ vulgi vox Kyrie eleison ixit. Hora non ampliùs abiit, cum eâdem viâ puer redit, narratque quod à cæli Choraulis cantari audierat Trifagion. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, atque verum esse cæli consulto quidquam his addi. Simul legatione suâ perfunctus ad musicam suam moriens abiit. Inter cætera Patriarcha voluit, ut voces auditas repeteret terra, cantuque etiam ipsa cælo, quod provocaverat, responderet. Factum, & Trifagion cantatum terram firmavit trepidam; ut homines non jam certasse tantum Superis voce, sed tunc superasse videantur. *Ex Men.*

Si accipientes munera taciti & immemores sumimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministracione fraudabimur; ut Deum, quem beneficiis non cognovimus, malis ingruentibus requiramus, & adversis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratiam non egimus ad fruendum. S. Martine non tim. car host.

S. IVSTINA V. & M. 26. Septembris.

AN hodie suum parentes faciant, nescio, collent parentum officium liberi etiam fecerunt. Ita IVSTINA à teneris annis Christianas leges clàm edocta, docere easdem parentes coepit. Et jam per matris ad pectus patris aditum sibi fecerat, cum hunc autantem jam in partes Christianas

visus per somnum ipse CHRISTVS impulit. Itaque brevi post mortuus pater viam in acceptis filiae tulit. Ceterum fuit & Vernasio nescio quis Aglaïdus, qui oblitus virgines esse, quas colebat, Musas, imparis amoribus extremum IUSTINAM deperibat. Sed Palladem scilicet castitatis ægide contra omnes preces & minas armatam reperit. Itur ergo ad CYPRIANVM nobilem tunc cum primis magum, & orco omnes amores contra IUSTINAM evocatur. Sed omnes faces incestæ, omnia tela unico crucis clypeo repelluntur, & totus Cupidinum exercitus ab unicâ fugatur Dianâ. Enimvero irasci hic arti suæ, sed multò magis artû magistro cacodæmoni CYPRIANVS: & quia hic victum palàm se facebatur, nuntium illi mittere, jamque libros & in libris Venerem Vulcano dare, ipse Christo & IUSTINÆ adhærere. Cum hac in exilium, in carcerem, in equuleum, in bullientes à flammis sartagines, ad palum denique & secures ivit. Itaque quando hodie virgini IUSTINÆ vitum magnum CYPRIANVM, hoc est oviculæ lupum, junximus, an non aurea secula reduximus? Ex Lippeloo.

Illum amemus, quem amare debitum est, illum osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est: illi commoriamur, in quo vita est. S. Paulin. ep. 4.

S. NILVS ABBAS. 26. Septembris.

Optimè omnium post conjugis mortem viduam vitam NILVS egit, quando solus jam in locis solis egit. Sed quid dico solus, quando exempli socios complures, & Cryptæ Ferratæ Abbas im.